



No. CCCXII.

DISSERTATIO HISTORICA
De
PLAGIO GENTILI

ex
Veteri Testamento,

quam
SUPERIORUM INDULTU
IN ACADEMIA LIPSIENSI

publico examini subjicient

PRÆSES

M. JOH. CHRISTIAN. Albrecht/
Altenburg. Misn.

&

RESPOND.

GEORG. CHRISTOPH. MÜLLER.

Tensted. Thuring.

Ad d. 10. Decembris Anno M. DCCIV.

L I P S I Æ,

Literis JOH. HEINRICI RICHTERI.

TRISTITIO HISTORICA
BRACIO GENTILI
Vocis Teutonicae
SUTTORUM INDIUM
IN ACADEMIA ALPENSIS
publico examine habita
L. A. S. S.
M. JOH. CHRISTIAN. BERNH.
Altenburg. Min.
Kassau
GEOG. CHRISTOPH. MILLER
Altenburg.
1772
Altenburg. Min.



I. N. J.

§. I.



Acturi in præfenti de Gentilium Plagio ex V. T. antequam rem ipsam aggrediamur, brevissimam terminorum explicationem præmittendam esse duximus, ex qua L. B. eo facilius intelligat, quid per hos terminos significare velimus. Primo loco sese offerret vocabulum Plagii de cuius derivatione non una sed multiplex apud Autores occurrit sententia. Quidam deducunt à Plaga, ut, *Perottus Corn. Cop. f. 277. & Calepinus, teste Vossio in Lexico: Etym. 394. Verba Vossii ita sonant Plagium à Plagis dici, legas apud Perottum, itemq; in Calepino toties recoëto: Nempe ut ait, eo, quod plagii convictus plagis damnaretur lege Fabia, quæ corrupte Flavia vel Favia vocatur. Lego quidem apud Ulpianum, Capitale fuisse crimen adversus eum qui liberum hominem sciens emisset, scio & Plagij pœnam nunc graviolem fuisse, nunc leviolem, pro ratione rerum & personarum. Sed quod stricte Perottus & Calepinus de Plagiis habent, id unde hauserint nescio. Quidam à plaga maris, ubi furtim subreptos vendant Plagiarii piratis & barbaris; Quidam vero à plagis i. e. retibus, cum Plagiarii sint velut hominum venatores, eosque in servitutis casses trahant; Quidam δὲ τῆς πλαγίης, quod notat obliquum & opponitur ὀρθῶς recto; quod non certa via gradiatur, sed pellicendo dolis. Atque hæc ultima ceteris omnibus est præferenda, quamvis Græcæ & latinæ lingvæ insvetum sit vocabulum, dum vocem hanc Plagii vetustior Græcia ignoret. Quicquid sit, magna derivationem hanc secuta est Auctorum assensio. Primus cui placuit, fuit *Isidorus*, post illum *Hotomanno comment. verb. Jur. p. 267. Becmanno de orig. p. 856. Fungero Etym. p. 818. Martino Lex. Philol. p. 2736. Voss. Etym. p. 394.**

Aliorum & etiam assensum afferre possemus, nisi brevitati nobis inserviendum esset. Quod vero ambiguitatem hujus vocis attinet aliter apud Theologos, aliter apud Juristas, aliter apud Philosophos summi non ignoramus, neque opus erit, ut omnes has acceptiones solide explicemus. Hoc tamen observandum erit, quod in sensu Theologico significet falsum testimonium, ideoque recte ad octavum præceptum referatur à B. Arnd. *Mengeringio in Scrut. consc. catech. Cap. XII. von den Gewissens-Fragen nach dem achten Gebothe. Qu. 93. p. 1069. & Qu. 99. p. 1074.* In sensu Juridico significat furtum hominis *Vid. Feld. Elementa Juris p. 19.* In sensu Philosophico notat vitium morale *vid. Dissut. Jacob. Thomastii de Plagio literario. p. 17.* Vocaturque alias latrocinium à Prisciano *Præf. Oper. Gramm. p. 534.* Illi vero, qui hujus vitii sunt participes, nominantur compilatores, Expilatores, Interversores &c. *vid. Speckhan. Cent. I. Qu. 88. p. 373.* Multiplici modo apud Auctores definitur. Nam quidam per habitum quidam per actum moraliter vitiosum definiunt; Nobis vero placuit *Eberh. Speckhan. definitio, quæ Cent. I. Qu. 88. p. 375. extat, hujusq; est tenoris. Est furtum, quod in transcribendo aliorum scripta & labores, & pro suis venditando & arrogando, veri auctoris nomine dissimulato & suppresso, subdole & fraudulenter committitur.*

§. II.

Secundo loco vox Gentilis explicanda veniret nisi hoc jam præstitum esset in Dissert. de Gentilismo V. T. Messiam Incarnandum ludificante sub præsidio Dn. M. Schleusn. ex hac ipsa cathedra Philosophica publice defensa; Quare B. L. illuc remisso prolixa termini hujus enucleatione h. l. supersedere poterimus. Interim tamen cum verear, ne non omnibus ista ad manus sit, vel tribus me expedivisse sufficiat. Descendit nempe Gentilis à gente, sumiturque vel in sensu Ecclesiastico, vel profano; Posteriori modo hominem denotat, qui eum integra natione communem agnoscit stipitem, iisdem utitur institutis eademque appellatione venit: priori vero non alius intelligitur quam is, qui extra Ecclesiæ pomeria est constitutus, destitutusque salvifica Dei cognitione solo Naturæ lumine regitur, alio nomine paganus dictus à pagis, quia ejusmodi infideles à Constantino M. primo Christianorum imperatore urbibus ejecti migrare jussi sunt; quæ ultima acceptio hujus loci est.

§. III.

§. III.

Cum autem Plagium non unius ejusdemque sit speciei, sed tum ratione causarum, tum ratione subjectorum, tum ratione objectorum, tum ratione accidentium & sic porro, varie distinguatur, nec uno ab his, quos diximus, gentilibus commissum sit modo, cum nunc Theologorum arcana, nunc Philosophorum placita involarint, & exinde quæ sibi videbantur, transcripserint; Lector, ne dubius hæreat, de quonam in præfenti nobis sermo sit, addendum putavimus de tali nos hac vice disquisitionem suscepturos esse plagio, quod circa scripturam S. gentiles commiserunt, Scripturæ voce non late sed stricte sumpta, prout nimirum non integrum codicem S. ex liberis V. pariter ac N. T. constantem, sed eam duntaxat S. voluminis partem denotat, quæ V. T. audit, ea, quæ ex novo fœdere hi homines impuri in lacunas derivarunt, alii tempori atque occasione reservantes.

§. IV.

Absoluta terminorum explanatione, principia nunc, ex quibus talem rerum divinarum notitiam, qualem illorum Scriptorum monumenta passim spirant, sibi acquisiverint, adducenda esse existimo. Nam quod illis quædam ex lumine naturæ nota fuerint, nullus dubitavit, nisi forsitan is, qui de ipsius S. Scripturæ veritate dubitare non erubescat, *κοινὰς* enim *ἐννοίας* seu communes de Deo notiones sc. Deum esse, esse opificem hujus universi, esse æternum, invisibilem, &c. gentilium cordibus fuisse inscriptas, Apostolus Paulus sola Epistola ad Romanos pluribus demonstrat. *Conf. h. l. Scherz. System. Th. p. 39.* Sed qua ratione talia sciverint, quæ neque ex sana ratione, neque ex revelatione illis innotescere potuerunt, illud est, de quo impræsentiarum quæstio instituitur. Etsi autem plures rem penitus introspectienti sese offerunt viæ, per quas gentiles ad hanc purioris doctrinæ cognitionem pervenisse non inani opinacione conjecturare liceret, nobis tamen tres potissimum ex illis, ad quas reliquæ nullo negotio referri poterunt, nominasse sufficiat. Primas inter istas haut immerito sibi vindicat celebritas populi Israëlitici, hunc uti Deus præ reliquis omnibus gentilibus in peculium sibi elegerat, ita tantis quoque egregiis eundem exornabat beneficiis, ut specialem suam gratiam atque doctrinam multis inter illum confirmaret, signis atque prodigiis, quare fieri non poterat, quin aliqui hujus cœlestis jubaris radii in vicini-

niam quoque mitterentur, & crepusculam quasi penes confines populos tenebris densissimis obseptos subinde excitarent. Ast illi, cum oblatae veritati integritatem suam servare, ac eo magis de vero Deo quaerendo cogitare debuissent, plurima potius, quae fama perceperunt, miranda, gloriae non minus aucupio, quam invidiae veneno agitati sibi suisque assignare laborabant, quae in aliis, quos illi odio plusquam Satanico ut plurimum persequerentur, acciderant. Ne autem fraude detecta hujus plagii plagae famae suae infligerentur acerbae, praecclare se sibi consuluisse putabant, si nomina personarum & gestorum circumstantias variis fabularum involvissent peplis, ut vix tandem explicari & perplexis figmentorum modis expediri possent. Primo huic principio succedit alterum, nempe Peregrinatio; Multos enim Philosophorum gentilium molesta ad exteras gentes suscepisse itinera non alium in finem, quam ut earum ritus atque religionem cognoscerent, de quibus prisca loquuntur historiarum monumenta. Quis enim nescit Platonem Aegyptum petiisse, ibique quandam sibi legis divinae notitiam ex Mosis Salomonis Prophetarumque scriptis acquisivisse teste *Cyrillo Lib. 1. & 2. contra Julianum, & Eusebio Praep. Evang. nec non Augustino*, cui etiam aliquando persuasum fuit, Jeremiae Prophetae consuetudine usum fuisse Platonem, dum esset in Aegypto; Sed rationibus temporum accuratius subductis eam demum opinionem repudiavit *Aug. de Civ. Dei l. 8. C. II. & de Doct. Chr. L. 2. C. 28. & Retract. L. 2. c. 4.* Hoc tamen certum est maximum tunc in Aegypto fuisse Judaeorum numerum ex iis prognatorum, quos una cum Jeremia traduxerat illuc Johanan, post interfectum ab Ismaele Gadoliam; tum & eorum, qui regionis vicinitate, aliisve causis incitati, illuc migraverant, cum Plato illic appulit. Et Platonem ista, quae de divinis oraculis scripsit, ex Moysis libris suffuratum fuisse, aperte ostendit *Suidas in Numenio Apameo, unde etiam est, quod Numenius exclamavit: Quid enim aliud est Plato quam Moyses atticissans? Clem: Alexandr. L. 1. Str. f. 251.* Nec sicco pede praetereundum est exemplum Aristotelis, de quo *Franc. Georg. in Harm. Mund. Cant. 1. Tom. 1. C. 1. in fine scribit, Aristotelem ad Judaeorum loca navigasse, svasum ex Platonis Epistolio in Israëliitarum sapientum commentationem scripto; Homerum quoque studiorum causa in Aegyptum se contulisse tradit, Diodorus L. 1.* Tertium ac ultimum locum

locum inter hæc principia occupat frequens cum Judæis conversa-
tio. Declarat hoc *Justinus Martyr*, 1. *Cap. 2. p. 439. in Admonit. ad*
gentes & Flav. Joseph. L. 1. C. 2. contra Appionem, narrans imprimis
de Aristotole, quod iste Judaicos libros non solum legerit, sed etiam
cum Judæis disputaverit. Quod si itaque gentiles cum Judæis di-
sputationem habuerunt, uti etiam hoc affirmat *Diodorus Siculus L. 1.*
p. 48. quis in dubium vocare vellet, illis non quædam de oraculis di-
vinis fuisse cognita. Ad hunc fontem etiam referenda essent com-
mercia, fœdera, connubia, bella exilia &c. quibus Israëlitis aliæ gen-
tes fuerunt permixtæ, & per quæ aliqua S. disciplinæ afflatæ fue-
runt aura, nisi prolixitas impedimento foret,

§. V.

Cum itaque recensita Principia satis declarent, quod, & unde Gen-
tiles s. Voluminum notitiam habuerint & habere potuerint, ad rem
ipsam jam jam nos accingimus & furtivis hæc corniculas denudamus
coloribus, ea testimonia in scenam producendo quæ ostendunt circa
quodnam hic vel ille plagium commiserit & pro suis non suis usus sit.
Hoc autem a nobis, L. H. non expectabis, ac si ea omnia ex profanis
Auctoribus in medium allaturi essemus loca quæ quocunque modo s.
Scripturam sapiunt, & aliquam saltem plagii Speciem præ se ferre
videntur, talem enim laborem ne spissa quidem Volumina, nedum
angusta hujus dissertationis spatia caperent, verum pauca tantum ea-
que potiora delibasse contenti erimus, quæ locis utrinque inter se
collatis, gentiles illius, cujus à nobis postulatur vitii, quam maxime
reos peragunt. Si igitur rem exordiamur ab ipso exordio mundi &
primo nobis sistamus formationem primi hominis è gleba terræ, si-
milem in hanc rem à Poëtis effictam esse videmus fabulam Prome-
thei, hominis ex luto facti quæ certe loco *Gen. 2. v. 7. ex asse respondet.*
Vid. Ovid. Lib. 1. Metam. Fab. 2. v. 82. Hor. od. 16. L. 1. Carm. Natal.
Com. l. 4. Myth. c. 6. Luc. Dial. Deorum dial. Si Moyses sub au-
spiciis historię Creationis dicit: Quod in principio, cum Deus illa,
quæ non fuerunt, apparere fecit, inanitas atque vastitas uti & tenebræ
fuerint super faciem abyssi *Gen. 1. 2.* Eandem fere buccinam in flant
Hesiodus in op. & D. Cujus Chaos ex Moysis verbis esse confictum
agnoscunt omnes. Aristoteles enim *Lib. de Xenophane, Zenone*
& *Gorgia*, Chaos illud Hesiodi, ex quo orta sunt omnia, nihil esse di-
ferte

ferte declarat. *Orph. Euripid. in Mena lippe teste Diod.* Sic enim
eorum interpretes *Ovidius Lib. 1. Metam. Fab. 1.*

*Ante mare & terras, & quod legit omnia, cælum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaq; moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum,
Nullus adhuc mundo præbebat lumina, Titan,
Nec nova crescendo reparabat cornua Phæbe;*

Ovum enim ovo an similius esse potest, quam hoc Poetæ carmen ver-
bis Moysis. Moyses eundem in recensendo ordinem observans quem
Deus observaverat in creando, vespertinum tempus matutino ante-
ponit, & post tenebras lucem creatam dicit. Hoc sibi vult Hesiodus
diem nocte satum, proinde recentiore fingens. Nam ejusdem
è rebus, quid quæso aliud est, quam ipsum Moysis *בְּרָא* sive vespera.
Lucem à tenebris, cœlestia ab inferioribus, terras ab aquis voce Dei
distincta esse asserit Moses, canit idem & Naso:

*Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam cælo terras, & terris absceidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab ære cælum.*

Quamlibet mundi partem sapientissimum ejusdem opificem egregie
exornasse, & cœlum in luminis & caloris usum astris, aquas piscibus,
aërem volueribus, terram feris & homini imprimis celsisse, Moses
in historica sua descriptione pergit, neque hac in parte ab eo abludit
Poëta, dum sua modulatur avena:

*Astra tenent cœleste solum, formæq; Deorum.
Cesserunt nitidis habitanda piscibus undæ
Terra feras capit: volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cœtera posset,
Natus homo est.*

Si porro ordinem creationis spectamus, idem pene apud Ovidium
servatur, quam qui in libris Moysis. Ut enim Moses primo rudis &
caliginosæ molis meminit, deinde creatæ lucis primogeniæ, tum cœli
è massa primitus creata producti, & terræ ab aquis segregatæ, con-
ditorum siderum, actum demum piscium, animalium atque volu-
crum;

crum; ultimo omnium autem hominis ad imaginem Dei effor-
mati: sic inspecta diligenter ovidiana descriptione pene eundem or-
dinem tenuisse deprehendimus. Posteaquam enim informem ac
luce carentem molem descripsit, & cœli à terris, terræ rursus ab aquis
discretionem expressit, mox siderum, dehinc piscium, avium cœte-
rorumque animalium creationem his nobis refert versibus:

*Vix ita limitibus discreverat omnia certis,
Cum, quæ pressa diu massa latuere sub ipsa,
Sydera cœperunt toto fulgescere cœlo.
Neu regio foret ulla suis animalibus orba:
Astra tenent cœleste solum &c.*

Denique ut apud Mosen Deus ultimo loco hominem creat, cui do-
minium cœterorum animantium committat; & corpus quidem ex
recente terra condit, mentem vero ad suam imaginem effingit: Sic
omnia imitatur Ovidius, ut Mosis vitulo eum arasse vel luscus videat;
Ita autem rem exprimit:

*- - - Quod dominari in cœtera posset,
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Sive recens tellus, seducta q̄, nuper ab alto,
Æthere, cognati retinebat semina cœli.
Quam satus Japeto, mistam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*

Hæc autem non Poëtis solum, verum etiam Philosophis non ignota
fuisse certum est. Quid enim *Athenagoras in orat. pro Christian.* de
Creatione per ovum illud, quod immensæ magnitudinis ab Hercule
procreatum atque incumbando completum per ejus vim, qui id pro-
creaverit, ex attritu in duas partes fractum, ex ejus superiori cœlum,
& ex inferiori terra prodierit, aliud adumbrare voluit, quam quæ ex
Gen. 1. v. 12. seqq. à Mose acceperat? Neque adeo incultiores Americæ
septentrionalis gentes v. g. incolæ Novæ Angliæ in hac re ho-
spites deprehenduntur: Statuunt enim illi totum orbem, & quæ orbe
continentur, a superiori quodam Numine, Kichtan ipsis appellato,
condita. *Vid. Reichard Waitbonii descript. Nov. Angl. p. 1. c. 4. Et
Ferdinand. Pinto Lusitanus memorat, in seiner Reise, Beschrei-
bung p. 313.* Quod cum in aliquo Regni Peguani loco sacerdos

de creatione mundi interrogatus sit, ille responderit: Non aliam Natura quam ex Dei voluntate originem habet. Si porro de sexu Protoplastorum sacrum scriptorem differentem audimus, dicit, quod marem & foemipam Deus illos ab initio creaverit. Consentiant & in eo Ægyptii qui ἀρρενοθηλη i. e. masculifœminam, primo creatum hominem asseruerunt. Unde etiam Androgynum seu Hermaphroditum suum Plato effinxit. Statum primorum Parentum quod concernit describit illum nobis Moses felicissimum, quia in Paradiso Dei, omni deliciarum genere luxuriante curarum expertes ex voto vixerint. Etiam hoc Gentilium aures perculit. Nam quid aliud per Hesperidum Adonidisque hortos (de quibus *Eras. Chiliad 1. Cent. 1. Adag. 4.*) quid aliud per aurea secula (*Ovid. L. 1. Metam. fab. 3.*) depingendum sibi sumebant, quam Paradisum, quem primus historiae sacrae scriptor vivis quasi coloribus nobis sistit. Hinc & Poëtæ, quoties Ambrosiæ aut juventutis poculorum meminere, toties ad talem beatioris vitæ statum, qualis Protoplastis contigit, respiciunt. Non solum autem rem, verum etiam nomina sciverunt. Nam quis non videt, Adonidis hortos, quorum jamjam mentionem injecimus, non aliunde, quam à voce עֲדֹן quo nomine propter summam amœnitatem & deliciarum affluentiam ἱερογραμματῆος hortum illum divinitus satum insignivit, appellationem suam habere, nisi ab עֲדֹן derivare malles, ut Actor & fator ejus Dominus Deus noster sub illo lateret, quem sub Adonidis Regis persona, qui hortorum curæ impense deditus à profanis hisce hominibus fingitur, præfigurare voluisse, admodum probabile est. Proclive tamen etiam fuit propter summum vocum consonantiam עֲדֹן גֵן hortum voluptatis, quo nomine Phœniciaë mulieres hortulos in suburbiis constitutos & in vasis voluptatis gratia confitos appellabant, reddere עֲדֹן גֵן hortum Adonidis. Patet id etiam ex aliis translationibus. Chaldæi enim ac Persæ, sicut *Xenophon scribit Lib. de Pædia & Exped. Cyri*, nominant Pardeis, quod Græci postea παραδείσον dixerunt, Latini vero à Græcis nomen mutuati Paradisum nominant: Omnes nihil aliud per Paradisum intelligentes, quam locum amœnissimum ac voluptatis plenissimum, uti *Gellius definit. Lib. 2. Noct. Attic. cap. 20.* Quæ omnia ad nomen hebraicum, cujus significationem referunt & retinent, alludere in aprico est: Nec aliorum referendi videntur campi illi Elysi, de

de quibus *Homerus ex veterum traditione scribit* : *Quod sit felicis-*
simus quidam hujus orbis locus, in extremis finibus orbis situs, in quo
beatissime boni piique homines viverent. Lib. V. Odyss.

§. VI.

Statum integritatis, in quo primum hominem haecenus specta-
vimus, excipit alter status nimirum miseriae atque lapsus, de quo qua-
dam gentilibus nota fuerint, pauca differenda erunt. Primo loco
autem considerandum venit subjectum lapsus, quod primam mulierem
Evam ejusque virum Adamum fuisse, Moses auctor est. Hanc Aten
Homerus & Pandoram Hesiodus nominat, de utrisque quaedam pro-
feruntur, quae ad propositum nostrum spectant. De priori *Homerus*
ἱλιάδῃ haec *eleganti Carmine expressit.*

Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄη, ἣ πάντας ἀάται
Ἵουλομένη.

De Posteriori vero Hesiodus *L. 1. Op. & Dier. Coll. Hor. L. 1. Carm. od. 3.*
idem sentit, at diversis verbis, aliaque fabula convicta ex veterum traditio-
ne. Nam comminiscitur quod à Pandora omnium Mulierum formosissi-
ma primaque à Diis condita, mala omnia in orbem terrarum fuerint
invecta : Per hanc vero non aliam indicare voluit, quam Evam, ut se-
quentes ejus versus ostendunt : *En Hesiod. L. 1. op. & Dier.*

Ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι, πίθη μέγα πῶμ' ἀφελῆσαι,
Ἐσκέδας. Ἄνθρωποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρὰ.

Adamum quod concernit, qui à blanda muliere, pomo de arbore ve-
tita porrecto, in idem infelicitatis barathrum est dejectus ac per id
universo generi humano causa malorum extitit, praefiguratur ille per
Epimetheum, de quo Mythologi tradunt, quod operculum pixidis à
Pandora oblatae per imprudentiam removens, fecerit ut malorum illa
Hias, evolasset, sola spe in imo vase relicta, id quod cuilibet, qui vel
micam ingenii habet, *Coll. Gen. 3. v. 6.* ad oculum patebit. Si porro
causas hujus mali attendimus, movens ad extra erat instinctus Diaboli
sub serpentis forma latentis ; Formalis autem descriptio ac comestio
de arbore vetita : Utrumque gentiles non praeteriisse evincit fabula de
serpente malorum aureorum custode, & de igne à Prometheo Jove
invito de caelo in terras delato, quarum prior serpentis Evam ad pec-
catum pellicientis, posterior vero arboris scientiae boni & mali sym-
bolum à viris prudentissimis censetur. *vid. Huet. Demonst. Evang.*

Prop. IV. cap. 10. §. 6. Hildebr. Ep. Cent. 2. fab. 64. 65. Consequen-
tia hujus lapsus varia fuere malorum genera quæ primi parentes Pa-
radiso ejecti, subire necesse habuerunt. Hanc deteriorem condi-
tionem Statum integritatis subsequutam Ovidius per argentea secula
hunc in modum adumbrat:

*Postquam, saturno tenebrosa in tartara misso,
Sub Jove mundus erat; subiit argentea proles,
Auro deterior, fulvo protiosior ære.*

*Jupiter antiqui contraxit tempora veris:
Perq; hyemes, æstusq; & inæquales autumnos,
Et breve ver, spaciis exegit quatuor annum.*

*Tum primum siccis aër fervoribus ustus
Canduit: & ventis glacies astrincta pependit.*

*Tum primum subiere domos: Domus antra fuerunt
Et densi frutices, & junctæ cortice virgæ.*

*Semina Tum primum longis vere alia sulcis
Obruta sunt, pressiq; jugo gemuere juvenci.*

Clausulam denique maledictionis divinæ homini lapsu omnimodam
destructionem & reversionem in terram comminantem, ex *Gen. 3, 19.*

Homerus hisce verbis suppeditat:

Ἄλλ' ὑμῖν μὲν πάντες, ὕδωρ καὶ γαῖα γενῶνδε.

Nunc ut in compendium mittamus ea, quæ hætenus de primo ho-
mine paulo fufius deduximus, fabulam, adhuc de Saturno effictam
libet in medium producere, in qua omnia fere hætenus recensita uno
quasi intuitu contueri poterimus. Fingunt autem de eo, quod pri-
mus deorum filius, multorum liberorum parens extiterit; quam o-
ptime autem hæc conveniunt cum Adamo? Ille enim primus à Deo
conditus, totiusque Generis humani, cujus certe numerus innume-
rabilis, parens factus est. Fabulantur porro cœli & Terræ illum fu-
isse filium; Neque Adam alium agnoscit ortum: Nam cœlo five ut
rectius dicam, cœli Domino debet animam, à quo ceu particula di-
vinitatis ipsi immediate indita fuit, terræ vero corpus, ex cujus gleba
formatum est. *Gen. 2. v. 7.* sub eodem fuisse aurea secula, id quod
verum est, de Adamo. Pingunt in ejus manu Draconem: Qui, quid
aliud, quam serpentis seductoris imago. Commemorant, quod ipse
suos devoraverit liberos; Hoc annon Adam fecit? cum per lapsum
omnem

omnem posteritatem secum perdidit ac æternæ morti non minus quam temporali obnoxiam reddidit. Ferunt eum in Carcerem, a Titanibus coniectum, inde à Filio extractum amissam dignitatem recuperasse: Congruit in Adamum. Iste enim exitiali lapsu corruens, juxta decretoriam justis iudicis sententiam tenebrosa tartara absque ulla liberationis spe adire debuisset, nisi Deus ipse misertus statim post lapsum benignam ei promissionem fecisset de benedicto mulieris semine, Messia puta incarnando, cuius beneficio & ipse & omnes qui cum eo in eundem credituri essent, amissam felicitatem recuperare, & ad cœlestem dignitatem evehi deberent. Tandem Saturnus regnis exul adeptis, ut *Virgilius Lib. 8. Æn.* refert, agrum colere, arbores inserere, vitam secundum leges ducere docuit: In quibus omnibus etiam Adamum postquam Paradiso ejectus erat, vi maledictionis divinæ vitam transgisse Moses disertis verbis pronunciat. *Conf. Gen. 3. 17. 18. 19.* Verum per singulas Poëtarum narrationes transcurrere, nimis longum foret. Quare hæc de Protoplastis geminoque illorum statu edisseruisse sufficiat.

§. VII.

Deveniendum nunc est ad eorum Posteris atque propaginem, quæ aenea proles vati audit, quando illam sic describit.

Tertia post illas successit aenea proles

Sevior ingeniis, & ad horrida promptior arma.

Ubi si generationis seriem sequi velimus, primus inter istos Cain erit nominandus, impietate nemini secundus; Post hunc autem pius Abelus. De hoc impare fratrum pare sacra pagina refert, quod uterque Deo hostiam obtulerit; Primogenitus Cainus è terræ frugibus; Alter vero Abelus ex primitiis sui gregis. Ast inæquali eventu, Deo nimirum huius sacrificium gratiose respiciente, illius autem abominante ac rejiciente. Unde Cain in expiabili odio in fratrem accensus ante non quieverit, quam illum è terra viventium sustulerit. Etiam huius historiae biblicæ vestigia in Ethnicorum scriptis reperire licet, etiam si tenebris plusquam cimмериis sint obsita, ut sub illis latens veritas difficulter agnosci possit. Repræsentatur autem sacrificium commemoratorum fratrum per illud, quod gentiles scribunt à Jove & Prometheo fuisse oblatum cœlo avo, in quo Promethei partes fuissent potiores,

Jovis autem peiores: Propterea Jovem Prometheo fuisse iratum eumque; postea afflixisse & alligasse. Sic *Homerus, Hesiodus & alii*. Per Jovem vere intellexeunt Cainum, quod vel inde patet quia illum pro primo urbium conditore habuerunt, ac proin, ut *Plato scribit*, ἑρκιον καὶ Φράγειον h. e. septorum, urbium & tribuum, confociationisque hominum Præsidem; it. quod urbium curam gerat, πολίθεον cognominarunt, ut tradit *Pausanias Lib. 1. Cainum enim primum urbes condidisse hominesque, in societatem coalescere fecisse* Moses testis est *Gen. 4.* Cainus fuit primogenitus Adami, Jupiter primogenitus Saturni illius antiquissimi, de quo supra dictum est. Cainus Patrem suum spe successionis ex fratre privavit, dum Abelem occidit: Jupiter ille Saturnum Patrem castrasse, Titanes expulisse dicitur, ne quis alius, præter se unum ei succederet; asseverante iterum Platone. Unde Jovis etiam ἀλάστωρ παλαμναίος h. e. homo sanguinarius dictus est, ut *Lactantius ex ipsis Ethnicis testimoniis Lib. I. confirmat*: Denique Cainus, juxta Mosis assertum *Gen. IV.* filios atque nepotes habuit, qui artium fuere inventores. Ex Jovis quoque prole sat numerosa tales prodiisse, qui artibus mortales imbuerunt, ut Apollinem, cui Musicæ, Vulcanum, cui artis ferrariæ inventio tribuitur, *Hyginus Cap. 155. & Diodorus lib. 1. cap. 2. nos instruant.*

§. IIX.

Ultima tandem omniumque nequissima ætas mundi ante diluvianam adhuc persequenda erit, quam ob consummatam impietatem exorbitantemque malitiam, qua reliquas omnes longe superavit fecem atque sentinam primi mundi haud immerito dixeris. De ea verificatur illud *Horatii Od. 6. l. 3. Carm. Ætas parentum peior aris, tulit nos nequiores.* Siquidem ea ætate impii Cananitæ & ii qui de vera piorum Ecclesia successerant, civitates munierunt, & ferri æcisque usu ad bella gerenda recepto, tanta malitia efferbuere, ut ipse Dominus de cælo prospiciens, cum omne figmentum cordis humani tantummodo malum inveniret, diluvio universum genus humanum perimendum decerneret. *Gen. 6. v. 5. Quæ de Ovidius L. 1. Metam. ita.*

- - - De duro est ultima ferro.

Protinus irrupit venæ peioris in ævum,
Omne nefas fugere pudor, verumque fidesque,
In quorum subiere locum, fraudesque doli.

Insidi-

Insidiæq; & vis, & amor sceleratus habendi.
Nec tantum segetes alimentaq; debita dives
Poscebatur humus; Sed itum est in viscera terra:
Quasq; recondiderat, Stygiisq; admoverat umbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum.
Jamq; nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroq;
Sanguineaq; manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex raptò, non hospes ab hospite tutus, &c.
Viçta jacet pietas, & virgo cæde madentes
Ultima cælestium terras Astræa reliquit.

Hoc autem de quo diximus, diluvium ita Poëtis, Historicis & Philo-
 sophis concelebratur, ut ad unum fere omnes in eo describendo quam
 amicissime conspirent: Adeo, ut in Brasilia quoque, Hispania nova
 aliisque remotissimis orbis partibus illud per Majorum traditiones
 credatur. Si Chronica S. hac de re conferamus, omnes in universum
 homines, solo Noacho cum familia in arca jussu Dei fabricata ser-
 vato, vi irrupentium aquarum miserrime periisse perhibent. Hunc
 Noachum, de quo etiam Americanos aliqua inaudivisse deprehen-
 dimus, *vid. Mas. Lib. 2. Hist. Indic.* scriptores sub variis nominibus
 nobis sistunt, & nunc Janum appellant, à Jan seu vino dictum; bi-
 frontem cognominatum, quia utrumque mundum vidit; nunc Bac-
 chum, quia primus fuit, qui vitem plantavit, viniq; usum hominibus
 monstravit post universale diluvium, ut refert Moses *Gen. 9, 20.* Bac-
 chus enim primus inter gentiles vitis & vini restaurator creditur. Un-
 de Lenæus censitor uvæ cognominatus. *Ovid. Lib. 4. Metam.* Pro-
 babile itaque videtur ipsum Bacchi nomen non à sono bacchantium,
 quod quibusdam placet, sed à veteri Noachi appellatione deductum
 esse, ita, ut N. more veteribus non insvetò cum B. permutato, & O.
 per syncopen è medio sublato, ex Noacho factum sit Bacchus, quod
 duplicata Litera C. postea ab ignaris hujus etymologiæ hominibus
 Bachus pronunciatum sit, *ut notat Stukius in Lib. Conviv.* Vocatur alias
 ab auctoribus profanis Deucalion atque Ogygen. Multi tamen sunt,
 qui Noachi, Deucalionis & Ogygis diluviam inter se discernunt, &
 pro diversis habere volunt. *Plutarchus autem de defectu oraculorum,*
Ovidius & alii non nisi unum agnovere diluvium. *Ovidius de Deu-*
 calio-

calione fingit, quod arrepta navi solus cum Pyrrha conjuge servatus sit. Quis vero ille Deucalion alius fuit, nisi Noachus, qui sane durante diluvio cum uxore salvus atque incolumis in arca fuit serratus. *Gen. 8. Coll. Ovid. Metam. L. 1. fab. 10.* Processum hujus diluvii prædictus Poëta ita exprimit, ut Mosén ipsum differentem audire putes. Nam formationem ac promulgationem decreti divini de mundo per diluvii pœnam perdendo de quo *Mosés Gen. 6, 7. 13. & cap. 7, 4. Ovidius sic proponit:*

*Pœna placet diversa Genus mortale sub undis
Perdere, & ex omni nimbos dimittere cælo.*

Executionem vero illius iisdem fere, quibus Mosés, actibus absolvit. Primo enim recenset, quomodo hoc malum natum sit è cælo:

*Fit fragor hinc densi funduntur ab æthere nimbi.
Nuncia Junonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaq; nubibus affert.
Quomodo ex terra abyssò:*

*Nec cælo contenta suo est Jovis ira, sed illum
Ceruleus frater juvat auxiliaribus undis.*

*Convocat hic amnes - - -
Nunc ait: - - vires effundite vestras.*

*Fluminibus vestris totas immittite habenas.
Jusserat: hi redeunt, ac fontibus ora relaxant:*

Et defrenato volvuntur in æquora cursu.

Ipsè tridente suo terram percussit, at illa.

Intremuit, motuq; vias patefecit aquarum,

Exspatiata ruunt per apertos flumina campos;

Quomodo omnia aquis fuerint obruta atque immerfa, etiam altissimi montes.

Jamq; mare & tellus nullum discrimen habebant.

Omnia pontus erat, deerant quoq; littora ponto.

Obruerat tumulos immensa licentia ponti,

Pulsabantq; novi montana cacumina fluctus.

Omnia aquis enecata:

Nat lupus inter oves: fulvos vebit unda leonès.

Unda vebit tigres, nec vires fulminis apro,

Crura nec oblato profunt velocia cervo

Qua-

*Quæsitisq; diu terris ubi sistere possit.
In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
Maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.*

Quomodo aquæ iterum occlusis Dei nutu abyssi fontibus cœlique fenestris decreverint, cacumina montium apparuerint, arca in montibus Ararat, qui vati Parnassus appellantur, subsederit, Deusque Noachi recordatus sit:

*Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus;
Nomine Parnassus, superatq; cacumine nubes.
Hic ubi Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum consorte thori parva rate vectus adhesit;
Jupiter ut liquidis stagnare paludibus urbem,
Et superesse virum de tot modo millibus unum.
Et superesse videt de tot modo millibus unam
Innocuos ambos, cultores numinis ambos,
Nubila disjecit: nimbisq; aquilone remotis
Et cœlo terras ostendit, & æthera terris.
Jam mare littus habet: plenus capit alveus amnes
Flumina subsidunt: colles exire videntur.
Surgit humus: crescunt loca decrescentibus undis.
Postq; diem longam nudata cacumina sylvæ
Ostendunt.*

Quomodo Noachus tempestatem exploraturus corvum ex arca emisit, qui reditus oblitus. Cujus circumstantiæ semitas in fabula de corvo, qui ab Apolline aquatum missus non rediit, nisi post ficus maturas, expressas reliquit.

*Immemor imperii sedisse sub arbore fertur,
Dum fierent tarda dulcia poma mora.*

Et unde nam nisi ex præsentis historia fluxisse putas gentilium institutum, ex avium gestu ac volatu auguria captantium & Apollini, qui divinationibus præest, corvum sacrum statuentium. *conf. Ælian. Lib. 60. Histor. anim. cap. 42. & Pin. Lib. 10. Hist. Nat. Cap. 12.* Post corvum, qui reditus fuit immemor, Noachus columbam emisit; de qua *Plutarchus in Lib. utra Animalia &c.* Οἱ μὲν ἐν μυθολογοῖ τῷ Δευκλίωνί Φάσι περιτεράν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφ' ἐμὲνην εὐδίας. *Colum.*

lumbam ex arca missam tempestatem Deucalioni significasse Mythologi dicunt. Prima nempe vice, cum non invenisset requiem plantæ pedis, redeundo; Ex quo Noah aquas adhuc in superficie terræ existentes colligere; Altera vero vice folium olivæ afferendo; unde serenitatem cœli terræque siccitatem augurari poterat. Unde etiam est, quod Ethnicis quoque olea signum pacis habetur, *uti Virg. Lib. 2. Georg.*

- - *Placidam paci nutritor olivam.*

Et lib. 8.

Paciferæq; manu ramum prætendit olivæ.

- - - Ex eodem etiam fonte manavit, quod columba Syris divinæ pacis præco, & nuncia credita fuit. *vid. Danaei Antiq. primæ ætatis mundi p. 436.*

§. IX.

Quod si ulterius sacra Mosis scrinia excutiamus, incidimus *Cap. 2. Gen.* in historiam de turris Babylonicæ indeque consecuta gentium dispersione; Cui cœlesti veritati penes profanos respondet fabula de gigantibus, qui montes congessere, & cum Diis pugnare ausi sunt, quanquam ingenti suo malo. Nam Jupiter fulmine congestos disjecit montes, quibus interemtos eosdem operuit. *Vid. Virg. Lib. 1. Georg. 280. & Ovid L. 1. Metam. f. 5. v. 152. si ad Cap. 19. Gen.* pedem promoveamus, Abrahamum & Lothum hominibus se putantes officia hospitalitatis exhibere, Angelos excepisse legimus. Quid vero aliud ludit illa *Homeri ὄδυσ. α. v. 112.* Fabula de Telemacho, qui hominem hospitiæ putans excipere, excipit Palladem. Promissionem autem quam Abrahamus de nascendo filio Isacco à tribus hisce viris in hospitalitatis pietatisque præmium tulit, Græci adumbrarunt figmento Orionis, cujus ortum concesserunt Hyriæo improbi, à quo benigne excepti fuerant hospitiæ Dii tres, Juppiter, Neptanus & Mercurius. Aditus quoque ille Jovis & Mercurii ad Philemonem & Baucida, à quibus comiter habitus humanitatis mercedem utrique rependerunt, Angelorum duorum accessum ad Loth & uxorem videtur significare: nam & his & illis patria eductis, & in tuto collocatis, populorum vicinarumque gentium impietatem ulsi sunt, & totam regionem stagnum effecerunt. Eodem etiam *Geneseos* capite conversio

UXO-

uxoris Lothi in statuam salis continetur: Hanc historiam gentili-
smus fabula hac involvit, nempe de Niobe, Tantalii filia, quam ex
nimio liberorum amissorum dolore in saxum obrigescentem *Naso*
Met. L. 6. v. 302. seq. sequentem in modum depingit:

- - - Orba residit,
*Exanimis inter natos, natasq; virumq;
Dirigitq; malis, nullos movet aura capillos
In vultu color est sine sanguine; lumina moestis,
Stant immota genis. Nihil est in imagine vivi.
Ipsa quoq; interius cum duro lingua palato
Congelat, & venæ desistunt posse moveri
Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest, intra quoq; viscera saxum est.*

Sodomæ urbis, quam Noth cum uxore & filiabus reliquerat, & Go-
morrhæ conflagrationem *Tacito* natam fuisse, ipse reticere non potest,
dum Lib. 21. Ann. scribit: Judaicas quondam urbes igne cælesti flagras-
se, & campos olim uberes fulminis jactu arsisse, cujus rei memoria ad-
huc in lacu Asphaltite restat. Ut suppleamus nunc magnum illud Pa-
triarcharum trifolium Abrahamo & Isaaco adjiciamus adhuc filium
atque nepotem Jacobum. Hic licet ætate non æque tamen Pietate
aliarumque virtutum encomiis, ullo horum fuit inferior, cujus rei
haut obscurum monumentum in monumento illo lapideo Deo in
itinere ad Labanum posito atque dicato reliquit *Gen. 28. v. 18. 19. 22.*
Quod etsi jam dudum quoad lapideam substantiam injuria tempo-
rum interiit, memoria tamen ejus apud electum Dei populum non
minus, quam profanorum gregem facta tecta que fuit conservata.
Quid enim integram Peruensium maris Indici accolarum religionem,
quæ, teste *Nubiensi Geographo Clim. 1. Part. 7.* tota, quanta quanta
est, in eo consistit, lapides erigere, & adipe piscium delibatos adora-
re, quid, inquam, illam aliud esse censes, quam repræsentationem
ceremoniæ hujus Jacobæ post fata etiam superstitis, qua Jacob ad
lapidem in titulum erectum ideoque unctum pro felici itineris suc-
cessu Deo supplicabat? Paria fere sunt, quæ de Mexicanis remotissi-
mo Indiæ septentrionalis populo perhibentur, quod scilicet
eo loco, quo Dæmonis sui responsum accepissent, aras lapideas so-
lerent exstruere manifestissimo exemplo illius quod Jacob post ob-
latam

latam sibi Dei speciem fecerat. Huic quoque fonti tandem accen-
sendus erit solennis ille Græcorum ritus, quo lapides in triviis un-
gere & positis genibus adorare in more habebant, quod etiam à se
olim factum *Arnobius Lib. 1. adversus gentes p. 13.* deplorat: *Si quan-*
do, inquit, conspexeram lubricatum lapidem & ex olivi ungvine or-
dinatum, tanquam inesset vis præsens adulabar & beneficia poscebam,
nil sentiente trunco. Hinc natum proverbium: *λίθον λιπαρὸν προσ-*
σκυνῶν. *Omnom lapidem unctum adorans, adorante Clem. Alex.*
Strom. 7. Conf. etiam Minut. Felix in octav. Agmina Patriarcharum,
quorum quidem in primo Mosis libro memoria celebratur, Josephus
pii parentis haut degener filius claudat: Cujus etsi casus plerique ab
Artabano in commentarium quem de Judæis concinnavit, iisdem pe-
ne, quibus gesti sunt, circumstantiis, sint relati, ut vel inde Plagium
circa hoc quoque pensum S. commissum cuilibet ad oculum pate-
re possit, nihilominus tamen non inanem operam nos insumtuos
esse confidimus si ea imprimis, ubi superstitiosa gentilitas verum dis-
simulavit ac figmentorum cœno dedecoravit, in medium afferamus,
ut diluta fœditate, pristinus nitor inde iterum appareat. Quod con-
tra concernit historiam de attentata Josephi per Potipharis uxorem
pudicitia, quæ *Gen. 39. v. 7. seqq.* literis relata legitur, luditur ex ea,
permutata saltem persona, Bellerophontis fabula; ut enim Joseph,
spretis lascivæ dominæ illecebris, ab eadem apud virum intentati stu-
pri accusatus innocens carcerem & durissima quæque subire debuit;
sic Bellerophon quoque ab Antea, seu, quod aliis placet, Stenobæa,
Præti Regis uxore, cujus in aula tum ut advena versabatur, apud ma-
ritum delatus est, quasi suæ insidiatus fuisset pudicitia, cum ipsa fru-
stra antea animum ejus ad illicitum amorem sollicitasset, hacque ejus
criminatione variis iisque graviissimis expositus fuit periculis. Qua
autem animi libertate Josephus in ima hac, ad quam heræ suæ mali-
tia adactus erat, servitute, gavisus sit, id satis demonstrat divina illa
somnia utriusque Pharaonis Præfecti, qui parem tum cum eo
fortem experiebantur, interpretatio; circa quod hoc saltem ad sco-
pum nostrum annotasse satis erit, quod ex ultimo augurio, quo Jo-
sephus pistorum principi, qui aves è canistro capiti suo imposito
comedere per somnium videre sibi visus erat, mortem infelicis ligni
prædicat, *Homerus augurasse videatur, quando odiss. 3. scribit: Aquil-*
las,

las, in capita procerum involantes mortem ipsis portendere. Somnium somnio si annectamus non infelicius Josephum in solvendo Pharaonis somnio versatum fuisse deprehendimus, cum illi enim per speciem noctu objectæ essent septem vaccæ macilentæ è flumine ascendentes septem pingves devorantes, septemque spicæ aridæ septem plenas sui generis pariter deglutientes, Josephus inde bis septem annos prænunciat, quorum septem posteriores fame atque inopia laborantes consumpturi essent omnem priorum septem annorum abundantiam atque proventum. Nec eventus fefellit. *Conf. Gen. 41.* Huic interpretationi nil magis affine est, quam quod Chalchas apud Homerum octo pullos à Dracone, una cum matre consumptos, portendere dicit annos novem in obsidione Trojæ consumendos.

§. X.

Omne autem, ut speramus, dubium, si aliquod superesse potest, penitus abolebitur, si Mosen ipsum, ad quem ordo biblicus jam nos deducit, ab omnibus fere universi orbis populis ab ortu usque occasum non agnitum modo, sed sub variis quoque nominibus pro Numine cultum fuisse probare ingrediamur. Pluribus id ageremus, nisi otium nobis hac in parte fecisset celebris *Gallus Petrus Daniel Huetius Episcopus Abrincensis, qui demonstrat. Evang. Prop. IV. cap. 2.* prolixum catalogum celebriorum gentilium contexuit, quorum plerique non historias solum prout à Mose gestæ describuntur, recensent, sed ipsam quoque Mosis nomen subinde dissimulare nesciunt. Imprimis vero legi merentur, quæ per subsequencia septè capita tradit, ubi erudite declarat, quomodo à populo ad populum adeoque ad remotissimos usque Americanos doctrina atque cultus Mosis pervenerit, & tantum non omnibus fabularibus gentilium Diis originem dederit. Ex spissa illa ejusmodi fictitiorum Deorum nube, quam ibi adducit, & sub quorum nominibus Mosen cultum fuisse dicit, unicum inde Bacchum producere integrum erit, sub quo, detracta larva, Mosen latere nemo non videbit. Ut autem ab ovo, quod ajunt, exordiamur, patriam Moses habuit Ægyptum, habuit & Bacchus; Moses infans arcæ junceæ impositus in profluentem fuit abjectus, paria fata expertus quoque est Bacchus. Ob liberationem ex aquis ille à filia Pharaonis dictus est Moses, hic Mises, ut habent Orphica in Misen, gemina Moses gavisus est matre, una cui vitam, altera, cui vitæ conservationem debebat.

bebat, nata puta Pharaonis à qua ex aquis extractus, educatus, & in filium adoptatus erat; bimeter fuit & Bacchus. Extorris in Arabia educatus fuit uterque: Hic ad Sinam montem, ille ad Nysam, quæ Sina ipsa est, ut diserte habent Fasti siculi; Bacchi virga in terram projecta serpentis instar repere visa est, ut virga Mosis *Exod. 4, 2. 4.* Ut in plaga illa Ægyptiaca, densissimis tenebris in universa Ægypto existentibus, omnibus Israëlitis lux erat in habitaculis suis *Exod. 10, 22. 23.* Sic Bacchi quoque chorus, Indis tenebris excœcatis, libro sole fruitus dicitur. Pingitur cornutus uterque; Leges tulit uterque duplici tabulæ inscriptas. Aquas de rupe elicuit virga uterque. Hæc circa Bacchum, quæ huc apponantur, digna visa sunt, ex quibus jam quilibet ultro calculum suum nobis adjiciet, Bacchum non alium esse quam personatum Mosen. Ex eo quod Moses ad rubum, quem ardere, sed tamen non comburi viderat, proprius accedens à Deo calceamentis exui jussus est, Judæi primum, testante *Josepho de Bell. Judaic. l. 2. c. 15.* (consuetudinem votorum nudis pedibus solvendorum penes se introduxere; A quibus postea ad profanas gentes manavit, quæ parem in modum, calceamentis depositis, nudis pedibus sana ingredi instituerunt, uti refert *Justinus Apol. 2.* Quem morem Pythagoram quoque & Proclum in sacris obeundis; Et Cretes ædem Britomartis visitantes nec non Græcos diligenter observasse ex *Callimachi Hymn. in Cerer. & Valer Flacc. l. 2.* constat. Inde Romanorum Nudipedalia, quæ ad impetrandas de cœlo pluvias institui solebant juxta *Prudent. περὶ 5 ε φ.* Mirificam illam Mosis virgam, quam & Baccho tributam supra vidimus miraculosis illis Mercurii, Palladis ac Circes virgis, quarum tactu res in alias mutatas fuisse formas Mythici passim fabulantur, originem dedisse nemo facile dubitabit. Quæ in solenni illa promulgatione legis Mosis acciderunt, quod jussu summi legumlatoris in montem-fumo & flamma circumseptum ascendit, indeque legem propria Dei manu exaratam retulit, cum & principes cum populo antea sanctificato ad montis radices eduæti fuissent, ut legere est *Exod. 19, 16. seq. Coll. c. 31, 18. illa Dio. Chrysothomus in oratione Borysthenica dicta ad Zoroastrem Persarum vel Deum vel Heroem his fere verbis refert: Zoroastrem sapientia & equitatis studiosum, vitatis hominum congressibus in montem secessisse, qui delapsis de cœlo ignibus conflagravit: Hac rei novitate perterritos fuisse Persarum*

vum

rum primores: Qui cum monti succederent, & Deum precibus placare
vellent, illesum ex igne prodiisse Zoroastrem bonoq; eos animo esse jus-
fisse, & quosdam sacrificiorum docuisse ritus, tanquam à Deo sibi in
monte traditos. Cum quibus conjungere non incongruum erit stri-
cturas, quæ ex præsentis insueti ad Indos quoque transfilerunt. Nar-
rant enim Guzarathenses, quorum religio antiquissima existimatur,
Deum de cælo delapsum in montem Meropurbateum radiis & luce
coruscum, Bremavio Patriarchæ legum suarum codicem, quem Cha-
stor appellant, de nube tradidisse: Quæ legis lationis historiam in
monte Sinai factam fictis saltem nominibus κατὰ πόδα exprimere
nemo sanæ mentis facile dubitabit. Neque ab ingenti illo benefi-
cio, quo Deus præ reliquis mortalibus Mosem dignatus est, dum sui à
tergo videndi facultatem ei concessit, a fronte negavit, eam ob ratio-
nem quia nemo faciem ejus possit aspicere & vivere *Exod. 33, 18. 19.*
20. 23. Quod etiam averſa Jovis statua, cujus Callimachus in Epi-
grammate & Poëm. vetus Pithoei meminerunt, adumbrare illis vo-
lupe fuit. Imprimis autem Persæ hoc à justo Domino suo iterum in spu-
rium suum Zoroastrem transferre non sunt veriti, qui recensente de illis
Huet. demonst. Ev. P. 1. Cap. 5. §. 2. Deum non aperta facie, & re-
velato vultu sed ignibus obductum & tectum flammis ficto Zoroastri
visum fuisse volunt. Sicuti & columnam illam nubis, quam Deus
specialem suam præsentiam in itinere ad terram benedictam Israëlitis
insigniter declaravit *Exod. 13, 21. 22. C. 33, 9. 10. c. 40, 34. seq. Num.*
9, 15. seq. &c. non Poëtis solum Deum in nubibus collocandi, sed illi
quoque columnæ, sub cujus Symbolo Bacchus colebatur, indeque
περικύβινθος (circumcolumnius) appellatur, originem dedisse, Cle-
mens: *Alex. Strom. I. nobiscum consentit.*

§. XI.

Historica fere fuere, quæ hæcenus enarravimus nunc ad alia
progredimur & cum in antecedentibus integram pene ipsius legis-
latoris Mosi historiam ex latibus suis protraxerimus, non abs re fore
putamus, si de legibus jamjam, ritibus & ceremoniis per manus ejus
traditis quædam attexamus, ex quibus quam juste & hic subdoli isti
homines de repetundis postulari queant, evidenter appareat. Tria
est, ac in nullis non compendiis Theologicis obvia distinctio, qua le-
ges in Naturales, Morales, Ceremoniales ac Forenses dividi solent.

De

De prioribus binis classibus eo minus h. l. erimus solliciti, quo unanimior deprehenditur theologorum consensus istas legum species non ad unam alteramve gentem, sed ad omnes indiscriminatim homines pertinere, ita ut si circa eas aliquis gentiles commissi plagii accusare vellet, eo ipso de illata injuria meliori jure ab illis accusandus videatur. De posterioribus itaque forensibus puta ac ceremonialibus in praesentia sermonem nobis fore, cuilibet facile subolere poterit. Hæc enim uti singulari quasi benignissimi Numinis privilegio populo Judaico datae erant, ita profanis gentibus non nisi furto surripi & modo illegitimo, ad se trahi poterant. Quod ergo si factum, uti factum esse demonstrabimus, nec vitio hoc nobis vertent, si jam jam pro aris & foveis pugnantes, jure quasi postliminii oblata ab illis ceu injustis possessoribus ac usurpatoribus repetamus ac suis dominis restituere allaboremus. Ut autem ordine procedamus singulatim de singulis agere placet, ita quidem, ut de legibus forensibus primordia capiamus; postmodum vero ab illis ad ceremoniales accessum faciamus. Circa leges forenses observanda erit divisio, quod quædam ex hisce juris communis sint, omnes in universum homines obligantes, adeoque non respectu substantiæ, sed certarum demum circumstantiarum, ut loquitur *Ludov. Croc. syntagm. th. l. 4. c. 9. n. 1.* Reipublicæ Judaicæ vocandæ sint; Quædam vero Juris particularis solos constringentes Judæos: Non de prioribus, circa quas fortassis adhuc effugium plagiarum quærere possent, sed de posterioribus disquisitionem nos suscepturos esse promittimus. Syllabum vero legum forensium exhibet *B. Gerhard. in ll. Theol. de Leg. Forens. à §. 30. usq. ad 36.* quas omnes persequi non vacat nec lubet: Potiores saltem perstringemus. Sic v. g. inter alia Politicæ Judaicæ instituta erat, ut servus hebræus post sex annorum servitium liber exeat sponte autem in servitute permanenti auris in signum perpetui mancipii perforetur. *Exod. 21, 2. 5. 6.* Ex hoc ritu, non dissimilem illum Indorum Orientalium manasse, quo pueris, quos in perpetuam servitute Deo sunt mancipaturi, aures perforant. Scrobiculum quoque ejusmodi Romanis in usu fuisse, ex *Demostero Antiquitatum Rom. peritissimo* discimus, qui inter tres venalium servorum notas, perforatas quoque aures affert. Nec minus asteriscum suum meretur illa lex, qua Deus Homicidæ, qui per errorem ac imprudentiam aliquem percussisset, urbes refugii in terra
Canaan

Canaan Israëlitas constituere jufferat, quo se reciperet, ut à vi atque vindicta ultoris sanguinis immunis esset, cum extra hunc casum propinqui mortem morte intefectoris ulcisci vel ipso Jure divino liceret, (quem morem, quod obiter notamus, adhuc hodie Abyssinis observari, ut homicidam propinquis interemti cruciandum tradant, *Bodinus Method. Hist. p. 151. commemorat conf. Exod. 21. v. 13.* Urbes hasce in immunitatem nutu ipsius Dei segregatas exemplum præbuisse gentilibus Asyla sua variaque refugii loca instituire, non est, quod quis dubitet. Quis vero primus eorum auctior atque institutor fuerit, scriptores inrer se variant: Nam Alexander ab Alexand. Cadmum in condendis Thebis primum Asyla instituisse asserit; Servius autem Herculis nepotibus hunc honorem tribuit, quos omnium primos esse, ait, qui Athenis Asylum aperuissent. Quicquid sit, sive Cadmum sive Herculis nepotes primum hujus instituti auctorem agnoscamus, manet tamen certum ab Ebræis ad Ethnicos hunc morem transiisse. Conferebatur autem talis immunitas à gentibus vel lucis, qualia illa Asyla Neptuni & Osiridis in Ægypto, Jovis & Veneris in Cypro erant, quorum meminit *Tacitus Annal. L. 3.* Nec non illud Romuli, quod excitata urbe Roma, in proximo aperuit, quanquam id astute magis quam candide fecisse videatur, sc. non tam miseris succurrendi, quam vacuum urbem incolis implendi causa. *Vid. Liv. L. 4. Hist. c. 8.* Vel templis quoque jus immunitatis datum fuisse legimus. Templum Hierosolymitanum quod concernit, quidam in dubium vocare volunt, an ejusmodi privilegium ipsi unquam concessum fuerit, quos vero *Rittershausen in jure Asylorum refutavit* rescriptum Demetrii Regis producens de templo Judæorum ex *Maccab. 10, 43.* De templo Julii Cæsaris à Triumviris exstructo refert *Dio. L. 47.* quod jus Asyli habuerit, sic ex *Olearii quoq; Itin. Persic. L. 5. c. 6. p. 556. constat*, quod apud Persas templa, quæ Miszid vocant, Asyli jure gaudeant. In templis autem aras maxime speciali hac prærogativa instructas fuisse inde liquet, quia fere omnes qui scelere admissio, in templa se recepisse leguntur, ad aras imprimis confugisse indeque salutem petiisse deprehenduntur. Clarius id patet ex ara illa Misericordiæ, quam Athenis ab Herculis nepotibus consecratam fuisse supra diximus, quamque *Jesuita Bexerlinck in Theat. Tit. Asylum aram illam ignoti Dei fuisse contendit, cujus Apostolus Act. 17, 2. 3.* mentionem

D

facit,

facit, quo si quis confugisset, per vim minime inde poterat abduci, *test. Theoph. in Paraph. Inst. §. de jure Nat. Gent. & Civili.* De Adonia & Joabo quidem in sacris legimus, quod pari ratione in apprehensione cornuum altaris salutem quæsierint, ast non invenerint. *1. Reg. 1. 51. 53. C. 2, 28. 29. 30. 34.* Et quid mirum cum ne apud Ethnicos quidem saniores omnibus promiscue Asylâ immunitatem à pœna præstarent, sed illis tantum, qui involuntarie aliquid pœna dignum commisissent, uti id expresse *testantur verba Gylippi Lauc. apud. Diod. Sicul. L. 13 Biblioth.* Et quemadmodum tandem apud Israelitas involuntarii hujusmodi percussores morte Pontificis potestatem consequerentur ad suos tuto redeundi, ita profugi quoque in templum Aricinum morte sacerdotis à crimine absolvebantur.

§. XII.

Circa matrimonia ineunda specialiquoque lege divina quasi characterisati & à multitudine gentium distincti erant Judæi ut sc. is, cui captivam ducere placeret, antea ei caput raderet, & tum demum illa cum convalesceret. *Deut. 21. v. II, 12.* Idem Caraibis Americæ populo in more positum fuisse, ut captivas in matrimonium ascescentes tonderent, reliquis uxoribus comam promittentibus *Huetius c. l. 6. 7. §. 6. fidem facit. c. II. §. 1.* addens, eundem fere ritum à Gallis quoque observatum fuisse. Non minori cura Deus quoque illam legem à Judæis custodiri volebat, qua frater fratris absque liberis defuncti uxorem ducere, eique suscitare semen tenebatur, *Deut. 25. v. 5.* Hoc Ægyptiis quoque ex legum suarum præscripto facere incumberebat, ut *constat ex codic. l. 8. C. de Inc. & inutil. Nupt.* Istum autem ritum adeo Judæis proprium quidam agnoverunt, ut etiam Brachmanes post alias causas ex decem tribus Israëlitis ideo ortos fuisse voluerint, quia similis ritus inter illos vigeret. Ab Indis item, Persis ac Tartaris Iberiam & Albaniam incolentibus, Hispanniolensibus ac Novæ Hispaniæ incolis Mosaica hæc lex, si scriptoribus credimus, magna cum cura servatur. Lege etiam divina puerperæ immundæ habebantur apud Israëlitas & ad certum Tempus à templo arcebantur, *Lev. 12. v. 2. seq.* Illa Romanis causa fuit, cur eorum puerperæ pari modo per 40. dies à partu templis abstinerent. Quod moribus etiam Atheniensium nefas fuerit ad puerperas accedere perhibet *Chrysof. 13.*

in

in *Epist. Eph.* qui fecisset altaribus prohibebatur, teste *Eurip. Iph. in Tau-*
ris; Ex altera etiam lege, qua mulier ex *καταμνησίς* ægra à Consortio
hominum per septem dies erat excludenda, nec viro, quousque hoc af-
fectu laboraret cum illa congregari licebat juxta *Lev. 15, 19. c. 18. 19.*
Zoroastres suam effinxisse videtur legem, quæ idem interdictum con-
tinebat. Ex ritu denique anni Ebræorum sabbathici & Jubilæi, quo
servus hebræus pecunia redemptus libertate erat donandus juxta *Exod.*
21. 2. Lev. 25. 39. 40. 41. originem sumsisse & Græcorum & Roma-
norum Saturnalia, quibus servi eorum pariter libertatem quandam li-
cet usurariam & temporariam consequerentur, admodum verisimile
videtur. Conf. *Lips. L. 1 saturn. serm. C. 2.* Solennia vero in Judæo-
rum Saturnalibus servari solita R. Mos. Maymon in libro de ritu anni
sabb. & Jubil. c. 10. ita describit: Quod servi libertatem recuperatu-
ri a primo die Tisri usque ad Festum Expiationum, quod in diem de-
cimum cadebat per novem dies jucunditati se dederint, computati-
onibus vacarint coronatique processerint, donec tubarum clangore
senatores Sanhedrin libertatis signum dederint. Quibus invicem col-
latis, magna utrinque convenientia deprehendetur.

§. XIII.

Absoluta de legibus Forensibus tractatione ad leges ceremonia-
les sine ulteriori mora nos conferimus. Ad quatuor autem omnia
quæ ex illis scopo nostro inservire possunt optime revocari posse mo-
menta videntur, ita, ut agatur 1) de loco, circa quem occupata erat
lex Ceremonialis. 2) De Personis, ejusmodi ceremoniis astrictis. 3)
De Rebus observandis. 4) De tempore, quo observandæ. Quod
locum concernit, duplex ille erat, in V. T. Tabernaculum nempe &
Templum. Priori, cujus structuram Moses *Exod. 26.* per partes re-
censet, penes Gades respondebat vetustissimum Herculis, templum,
quod templo Salomoneo longe vetustius statuitur. Illud autem *Silius*
l. 3. sic describit, ut tantum non per omnia Tabernaculo conforme fuis-
se liquido appareat. Quam conjecturam magis confirmat *Appianus*
in Ibericis, quando de hoc templo differens illud non solum à Phœ-
nicibus conditum, sed etiam Phœniciis ceremoniis ac ritibus opple-
tum fuisse probat. Cui suffragantur *Diod. L. 5. & Arrianus de Expe-*
dit. Alex. Placet nunc breviter partes illas Tabernaculi ac Templi per-
currere, quas sacrilegi isti in fanis suis exprimere religioni sibi

neutiquam duxere. Hic, cum finibus suis contenti, intra atrium suum continere se debuissent, quo usque adytus illis ad Judæorum sacra patebat juxta. *1. Reg. 8. Ps. 42.* ad sanctum usque sanctorum sacrilegium ipsos perpulisse, res ipsa docet. Quid enim, quæso Romanis sacraria sua, ad quæ vulgo viam præcludebant, solis sacerdotibus & Vestalibus pandebant? Quid Indis interiora sua templi, quæ Brachmanibus tantum, qui sacerdotum vices gerunt, ingredi licet, reliquis non item? Certe nihil aliud nisi quod Israelitis suum sanctum sanctorum, quod præ reliquis templi partibus à Deo ob specialem suam in eo revelationē ita consecratum esse ac segregatum audiverant, ut non nisi Pontifici semel in anno illuc intrare permissū sit. *Lev. 16. v. 2.* Ad sacram tabernaculi ac templi suppellectilem si accedamus, primo loco occurrit arca fœderis, in qua continebantur tabulæ Testamenti, aurea Urna, habens Manna & Aaronis virga, quæ germinaverat. *Exod. 25. v. 10. 16. 21. Coll. Ebr. 9. v. 4.* Hujus simulacra erant cistæ, illisque inclusæ quisquiliæ in Eleusiniis à Græcis exponi solitæ quas recenset. *Clem. Alex. in Protr.* Post arcam locata erat aurea mensa, in qua panes propositionis appositi erant. *Exod. 25. v. 23. 33. Coll. c. 40. v. 4. 22. 23.* Ad hujus similitudinem fabricata erat mensa illa ænea apud Athenienses, supra qua Dii polia sua celebrantes in Acropoli placentas & liba Diis suis apponerent, uti de illis narrat *Porphyr. L. 2. περὶ ἐμψ. ἀποχ.* Candelabro porro aureo in quo lucernæ accensæ erant, tabernaculum non minus quam templum exornatum erat *Exod. 40. v. 24. 25. 1. Reg. 7. v. 49.* Hinc lychni quorundam Indorum orientalium coram idolis suis interdiu & noctu ardentes prodierunt. In tabernaculo arcæ prætendebatur velum, prætendebant quoque velum gentiles in Ephesino Dianæ & Olympico Jovis templo. Aram cremandis victimis destinata ante fores tabernaculi Deus Mosen collocare jusserat. *Exod. 40. v. 6.* Hinc Græci quoque altaria sua in templorum vestibulis statuebant, quia signa sua ceu sanctiora in adytis asservabant. Ob severissimum denique totiesque repetitum divinum interdictum, quo ullum simulacrum ad formam invisibilis Dei effingere prohibebantur Judæi *Exod. 34. 17.* Quodque postea Deus symbolice præfigurabat, cum in inauguratione tabernaculi atque templi utraque loca speciali sua præsentia ita impleret, ut nemo juxta eum stare posset, ad significandum, quod sic omne illud, quod non sit Deus à loco, ubi ipse habitaret & à cultu sibi soli debito exculsus esse deberet.

Exod.

Exod. 40, 34. 35. 1. Reg. 8, 10. 11. Gentiles quoque sanctores imagines templis inferri nefas habebant; Uti de Baccho fertur quod cum Ammoni Jovi templum extruxisset nullam intulerit Dei imaginem, sed unius & veri Dei clara symbola inesse voluerit. Singularia sunt, quæ hanc in rem *Plutarchus de Numa in vita ejusdem affert*: Quod sc. pari modo opinatus sit, Deum neque sensilem esse neque quicquam pati posse aut videri aut corrumpi sed animo solum cognosci: quodque cavisset, ne qua ad humanam aut aliam quamcunque speciem elaborata specie exprimeretur,

§. XIV.

A circumstantia loci ad personas progredimur ad S. cultus Levitici munera subeunda à Deo ordinatas. Circa has ut distincte iterum procedamus, considerabimus a) earum ordines b) munia c) habitum corporis sive vestitum, & denique d) leges sive præscripta ab illis observanda. Personas sacras, quas ex tribu Levi Deus in peculium sibi elegerat *Lev. 9, & 10.* supremus legislator ipse, in tres ordines distinxit, quorum prior ex unica tantum persona, Pontifice sive summo Sacerdote constabat, qui reliquis sacerdotibus omnibus præerat. Primus quem hic honor tetigit, fuit Aaron, cujus familiæ quoque speciali Dei privilegio hæc dignitas hæreditaria facta est, ita, ut defuncto Pontifice ex alia familia iterum alium eligere non liceret. Gentilibus talem quoque Pontificem fuisse vel ipsum nomen nobis indicio esse potest, quod Romanum est. Erant autem Pontifices apud Romanos *ἱερέων οἱ Διαφάνεσσι* sacerdotum eminentissimi perinde ut apud Hebræos, uti loquitur *Dionysius L. 1. Antiqu. p. 30.* Competebat iis summum Jus de sacris judicandi, neque ipsi ulli potestati erant obnoxii, *vid. Hildebr. Antiq. Rom. Tit. Pontifex.* Pari dignitate apud Græcos fulgebant ii, quos *ἱεροδιδασκάλους* sive *ἱερονόμους*, vel quod potissimum *Dionys. L. II. Antiqu. Rom. p. 133.* probatur, *ἱεροφάντας*, suo idiomate dicebant. Quemadmodum vero inter Judæos una vice non nisi unus sacris præerat Pontifex, sic apud Persas non nisi unum Pontificem maximum esse sanxit Zoroastres. Secundum sacrum personarum ordinem in populo Dei constituebant Sacerdotes, minores cognominati. Hi, Aarone adhuc in vivis existente, ejus filii erant, quibus defunctis semper eorum propago in hoc munere succedebat, uti enim unus tantum ex familia Aaronis Pontificali dignitate exornari

poterat, ita reliquis hoc, de quo loquimur, Sacerdotium demandaba-
tur *Num. 3. v. 10.* Excrescebat autem hæc Aaronis progenies brevi tem-
pore ad tantum numerum, ut à Mose in certas urbes distribueretur, ex
quibus certo tempore ad Sacra peragenda templum sanctum redirent ;
Num. 35. v. 2. 3. Copiosiores subinde factos Rex David in 24. stationes
sive ut Romano magis vocabulo utar, in totidem classes divisit *1. Paral.*
24. v. 6. Coll. c. 25. v. 6. 19. ut in functionibus sacris per vices si-
bi invicem succederent. Ubi enim illi, qui in ultima classe erant, offi-
cio suo satisfecerant, ibi denuo incipiebant, qui in prima, & tali modo
semper redibant in orbem. Incipiebat vero quælibet earum ipso die
Sabbathi *2. Paral. 23. v. 8. coll. 1. Paral. 10. v. 25.* mane ab instau-
ratione panum propositionis & desinebat sequenti Sabbatho post octi-
dium mane, antequam apponerentur panes propositionis. Singularum
itaque familiarum quaque vice dies septem erant : Integer orbis XXIV.
classium conjunctim sumtarum conficiebat dies 168. Et hæc sunt istæ Sta-
tiones, quas ἐφημερίδας appellat Lucas, quando Zachariam, inquit,
fuisse ἐξ ἐφημερίδας Ἀβιά ex vice Abia. *Luc. I. v. 5. 8.* quæ videlicet
sorte erat octava familia ex illis XXIV. cui Abia, sicut suæ quique classi
principes solebant, nomen dederat, *1. Paral. 24. v. 31.* Principes illi no-
minabantur **רָאשֵׁי הַאֲבוֹת לַכֹּהֲנִים** capita familiarum sacerdo-
tialium *L. c. v. 6.* Qui ordo etiam sequentibus temporibus servatus, ut sin-
gulis sacerdotum classibus quidam præessent, qui vocati fuere ἀρχοντες,
Job. 7. v. 48. qua appellatione non plures Pontifices, sed classium so-
lum Sacerdotalium Principes indigitantur. Commemoratis hisce Sa-
cerdotibus apud gentiles persimiles erant Pontifices minores, quorum
ministerio Pontifex maximus haut secus atque inter Judæos Sacerdos
summus minorum Sacerdotum ministerio utebatur. Hæc ut rectius in-
telligantur, sciendum est, quod integrum à Romanis Pontificiale collegium
institutum fuerit, cujus numerus à quatuor, ex quibus initio constabat,
ad octo tandemq; ad quindecim adauctus fuit personas, prout pluribus
hoc commemorat, *Onuphr. L. 2. Reipubl. Rom.* Membra hujus colle-
gii ita à se invicem distingebantur, ut primum locum occuparet
Pontifex Maximus, penes quem summa erat potestas de rebus sacris
tam publicis quam privatis statuendi, cujusque imperio suberant reli-
qui minores, quorum etiam respectu à Græcis dicitur Διαφανέστατος;
Pontifici Maximo proximus erat Pontifex major, ita dictus, quia col-
legio

legio

legio Pontificali prius atque diutius interfuisset, quam reliqui subsequentes sacerdotes minores. Stylo nostrorum temporum haud incongrue senior appellari potuisset, æquabat enim fere τῶ ἀρχοντῶν sacerdotum minorum inter Ebræos, quem reliquis seniore classis suæ præfuisse diximus; Hunc sequebantur Pontifices minores, quos ultimo excipiebat Pontifex minimus, qui nuper in id Collegium erat receptus, adeoque ultimum occupabat locum. Hæ tres inferiores recensitæ Pontificum species, conjunctim minores respectu Pontificis maximi appellatæ, intentæ erant instar Sacerdotum inferioris ordinis apud Ebræos ad subministrationem summi Pontificis. *vid. Fest. L. 2.* Tertius tandem ac ultimus ordo erat Levitarum, à communi tribus sui stipite Levi tertio genito Jacobi ita dictorum. *Exod. 6, 16. seq.* Hos Deus ex eo tempore, quo percusserat omnem Primogenitum in Ægypto pro primogenitis filiorum Israël sibi elegerat, & Aarone ejusque filiis h. e. summo Pontifici & sacerdotibus secundi ordinis dono dederat, ut eis ministrarent, & fungerentur officio filiorum Israel, *Num. 3, 5.* Licet autem infimi essent sacerdotum, habebant tamen suas pariter ut sacerdotes ἐφημερίαις & in totidem stationes erant divisi. Munus eorum erat, ut ea in templo peragerent, quæ ignobilioris essent operæ *1. Paral. 24. 28. 32.* Hinc Victimariis adstantabant & ad eorum nutum erant intenti. *Conf. Rittershaus. p. 407. in Salvium.* durantibus sacris voce & organis canebant. *1. Paral. 26.* Ad januas templi excubabant, & sacras in æde divina arculas observabant. *1. Paral. 27.* Ipsi autem sacrificiorum operi vacare nunquam permittebatur. Quod & huic ordini quidam inter gentium idololatrias responderint, docet *Petr. Cuneus L. 2. C. 2. de Republ. Hebr. Quod Romanis, inquit, inter sacra atque in templis Victimarii, Popæque & Aeditui ac gratiæ, Tibicinesq; & Præstiter; Id Judæorum mos lexque Levitis demandaverat, non omnibus hercule, sed iis duntaxat, qui progenitore Levi sati, genus tamen suum ab Aarone non traxerunt* Nimirum uti Levitæ pro variis muneris sui partibus varie iterum distribuebantur, ita gentiles quoque easdem invicem separare singulisque certas præficere personas sicque unicum hunc ordinem in plures subdividere deamabant. Illis Levitis, qui altari ministrabant & circa sacrificia Aarone ejusque filiis opitulatrices manus ferebant, Gentilium Victimarii & Popæ non absimiles erant, qui nutum sacerdotum
fuccin-

succincti expectabant, victimas ligabant, & caltrum, aquam & Molam parabant, & reliqua, quæ sacris erant necessaria, juxta illud *Propertii L. 4. Eleg. 3.*

Succinctiq; calent ad nava sacra Popæ.

Ejusmodi minister erat in sacris Cereris Eleusinae, ὁ ἐπιβασιλεύς nuncupatus, quod ad aram ministraret: cujus appellationis meminit *Eus. Præp. Ev. L. 3.* Quod ea pars Levitarum erat, cui custodia templi commissa; illud Romanorum Aeditui erant, à pari functione nomen adepti, de quibus *Gellius L. 12. c. 6. Stobæus illos νεωκόβης vocat*, templi purgandi & exornandi curam habentes. Cantoribus deniq; cultus Levitici sese assimilabant Romanorum Tibicines, qui perinde ut hi, dum sacra fierent, tibiis canebant, vel aliis instrumentis musicis ludebant. *vid. Cic. L. II. de Legib.* Non autem Chorda semper oberrabant eadem, sed aliis Divis alios accinebant hymnos, qui pro varietate festorum sacrorumque variabant. Qui plura de his desiderat, adeat *Athenæum. L. XIV.*

§. XIV.

Quanquam autem satis jamjam recensitos tres sacerdotum ordines ab hominum vulgo eximeret officii sui præstantia atq; dignitas, cum ministri audirent Regis Regum ac Imperantis Imperantium, singulari tamen adhuc corporis habitu atque vestitu illos ab aliis discernere, sapientissimo Numini placebat, ut pari animi morumque condecencia quam Corporis esse studerent. Hinc Moses in mandatis accipiebat, ut vestes sacras Aarone fratri suo adornaret in gloriam & decorem, idque operis illis committeret, quos spiritu sapientiæ Deus implevisset. Vestes autem summo Pontifici propriæ erant hæ: Pectorale, Ephod Pallium, Tunica ocellata, Mithra & Baltheum, *Exod. 28. v. 2. 3. 4.* His Pseudo-Athenagoras in *Eroticis lib. 5.* vestimenta Pontificis Ammonis Templo præfecti ita similia depingit, ut ad illorum typum ea elaborata fuisse, ultro pateat. Alii autem cautius, ut sibi videntur, processere, & cum, si omnem simul ornatum tollerent, sacrilegium eorum minus latere posse facile intelligerent, satius existimabant, unam tantum alteramve partem ad se rapere; Et sic v. g. Sinæ tintinnabula abstulere, quæ in pallii fimbriis gestare solebat Aaron, sui que magistratus fimbriis affixere, hunc enim morem inde esse traductum, de eo haud dubie cuiq; aures tinnient. Pectorale gemmis impletum in quo Urim & Thumim ab Aarone semper super cor suum coram Jehova gestandum, Sacri-

sacrilegi Ægyptii ad se pertraxerunt; Pari enim modo Pontifex eorum, qui Judicibus sacris obeundis destinatis præerat (perinde ut Pontifex inter Ebræos sacerdotibus atque Levitis, quibus itidem judicandi potestas à Josaphato Rege collata erat, 2. Paral. 19. v. 8.) ejusmodi sigillum saphirinum de collo suspensum gestabat, quod veritas appellabatur, testante *Æliano Var. Hist. L. 14. c. 34.* qui, ut omnem dubitandi causam hæc ex Mose esse petita, penitus præscinderet, addit, à Mercurio Ægyptios hunc ornatum esse edoctos. Quod attinet vestitum Sacerdotum minorum, consistebat ille inter alia quoque in feminaliis lineis, uti expresse habetur, *Exod. 28. v. 42.* Hoc iterum imitati sunt gentiles reliqui, puta Ammonis Sacerdotes minores, de quibus *Athen. l. c.* imitati sunt deniq; Gades in Herculis templo ministrantes Sacerdotes, uti habet Appian. in Ibericis qui omnes ad sacra accedentes lineis vestibus usi sunt.

§. XV.

Quo Sanctissimum Numen ostenderet, neutiquam sibi placere exteriora corporis ornamenta nisi insimul adsint cordis interiora, varias hisce sacerdotibus leges præscribat, quibus obedientiam eorum erga se ac pietatem probaret, illosque commonefaceret, quod hic maxime ordo vitio carere cæterisq; specimen esse debeat. Abeunt a istæ leges sua quasi sponte in duas classes, quarum priori illæ consideratae veniunt, quæ summum tantum sacerdotem respiciunt, posteriori vero quæ omnes in universum sacerdotes ad communem observationem obstringunt. Lex summo Sacerdoti propria erat hæc, ne mortuum attingeret, quamvis paternum aut maternum funus esset. *Lev. 21. v. 2.* Quod æquali plane lege apud Romanos Flamini Diali, qui Flaminum summus erat, mortuum tangere, imo aspicere nefas fuerit testatur *Gellius L. 10. c. 15.* Posterioris causam affert *Alexand. quando L. II. G. Dier. c. 8.* ideo Pontifici maximo cadaver videre non licuisse, ut ne quid triste aut lugubre oculis acciperet: multo magis si hominem insepultum reliquisset. Quod enim longe gravius piaculum ipsi fuerit mortuum visum insepultum relinquere, quam eundem videre, inter alia ex illi *Virgilii loco L. VI. Æn. Præcipue pius Aneas &c.* Servius probare annititur. Quod si tamen accidisset ut vel in occursum cadaveris imprudens inciderit, vel funus suorum procurarit, quod ei test. *Gell. l. 6.* licebat, velamine interposito, ne visum offenderet, salvis ceremoniis prodire poterat. Discimus id Tiberii exemplo, qui cum genio istius seculi Imperator simulque Pontifex esset, nihilominus defuncto suo & quem genuerat, & quem adoptaverat filio, ipse pro rostris filium laudavit, stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamine, quod Pontificis oculos à funere arceret, referente *Seneca ad Mart.* Alia insuper divina lege summus Judæorum Sacerdos nec viduam, nec repudiatam nec profanam, nec meretricem, sed virginem camque indigenam Israëlitis progeneratam ducere tenebatur. *Lev. 21. v. 13. 14.* Hujus quoque ruderem invenire est apud Atticos, quorum Rex qui ceremoniarum Antistes erat, à connubio uxoris, quæ alterius viri thorum experta esset, lege arcebatur. Utrumque, quod & virginem & civem ducere coactus fuerit, tradit *Aggenes apud Demosthenem orat. contra Neer. sequentem in modum: τὴν δὲ γυναῖκα αὐτῆς νόμος ἔθετο αἰσὴν εἶναι καὶ καὶ ἄπαιμην γέννην ἑτέρω ἀνδρὶ, ἀλλὰ παρθέον γαμῆν.*

§. XVI.

Sequuntur leges omnibus ad unum sacerdotibus necessitatem imponentes. Quas si paulo penitus introspeciamus, deprehendimus, quod quædam earum ante ingressum, quædam in ingressu, quædam post ingressum in ministerium illos obligaverint. Prioris generis erant, quæ determinabant, quinam ad sacrum istud munus admittendi sint, quinam non, cujusmodi lex erat, ne is, qui insigni aliqua macula laboraret, & vel coecus vel claudus, vel diminutus &c. esset, accederet ad offerendum oblationes Deo, quamquam huic legi & ab illis, quibus jamjam in officio constitutis tale quid obtigerat, morem gerendum fuisse non negemus. *Lev. 21, 17. seq.* Hujus rei gentiles egregios iterum simios extitisse, *Seneca L. 11. Controv. 2* nobis persvadet, dum de Metello Pontifice *ibid. ita scribit: Metellus Pontifex, quum arderet Vestæ templum, dum rapuit Palladium, oculos perdidit, sacerdotium illi negatur.* A quibus non multum discrepant ea, quæ *Dionys. Halic. L. 2. Antiqu. p. 92.* de sacerdotibus à Romulo lectis affert, quando hæc de iis præ-

requisita ponit, quod virtute ac genere cæteros præcellere censumque habere sufficientem, & tandem corpore nulla ex parte trunco illos esse oportuerit. *Conf. Tacit. l. 1. Annal. Plin. l. 7. Nat. Hist. c. 28.* Quod si vero ad sacerdotium essent idonei, & nihil horum impedimento foret, ne illotis, quod ajunt, manibus ad sacro sanctum istud munus accederent, sub ingressum requirebatur inauguratio seu consecratio, quæ sequentibus peragebatur ceremoniis; Pontifex sive sacerdos initiandus primum ad ostium Tabernaculi adducebatur, ibi aqua ablutus, sacrisque vestibus indutus, & oleo, si Pontifex esset, inunctus, sacrificium Deo certis ceremoniis offerebat, cujus sanguine & altare & initiandorum vestimenta aspergebantur, quibus omnibus rite peragendis integri septem dies à Deo erant destinati, *conf. Exod. 29, 1-37.* Hæc omnia initiati sunt gentiles. Nam ne ullus quidem admittebatur ad sacrificium, nisi inauguratus *test. Dionys. 1.* Imo plerosque adductos consecrationis ritus suos fecere. Quod vel de solis Eleusinis sacris oppido clarum est: Ibi enim inatiandus primum templum ingressus, statim sibi, sumata è sacro malluvio aqua, manus abluebat. *Tradit hoc Lysias orat in Andocidem.* Tali initiatione facta sacrum ministeriū ingressi erant, ex alia lege pariter tenebantur, ut quoties sacras functiones essent subituri, antea manus pedesq; sibi lavarent, ex simpuvio divino mandato à Mose procurato. *Ex. 5. 6. 18-21.* Idem Græcanicis sacerdotibus in more positū erat, ut non solum sub eorū inaugurationē d. m. quaq; vive, cum sacris essent operaturi, pedes manusq; abluerent, ut constat *ex Porph. L. 2. περὶ ἐμψύχων.* Vino abstinendū erat sacerdotibus Hebræis tempore ἐφημερίας *Lev. 10. 6. 9. 20.* abstinendū etiam erat eò tempore Sacerdotibus Ægyptiis. Mortuo se polluere illis non licebat, aut si se polluisent per septem dies immundi erant, & à templo arcendi *Lev. 21. 6. 1.* similis lex posita erat Gallis Syriis Hieropolitani Deæ Syriæ templi, ministeria obeuntibus, quibus pariter post sepultum è numero suorum aliquem, templo per septem dies eis abstinendum erat, ut *Lucianus Lib. de Dea Syria tradit.*

§. XVII.

De Loco atque personis sacris hætenus actum fuit, pergendum nunc est ad res circa quas Lex Ceremonialis occupata erat Pertinent huc duo illa V. T. sacramenta circumcisio & agnus Paschalis, pertinent huc sacrificia, selectus ciborum, atque vestitus &c. de quibus ordine. Primum itaque V. T. sacramentum diximus circumcisionem: Hoc uti à Deo *Gen. 17. 6. 9-14.* primum institutum & *Lev. 12. 6. 3. 22.* repetitum legitur, talis ritus erat, quo omnis mas octavo à nativitate sua die, in carne sua circumcidendus erat. Neque hoc mysterium Gentilibus clausum fuisse, vel inde patet, quod plurimi eorum, nominatim Arabes, Ægyptii, Moabitæ, superstitione imitati sunt. *vid. Herod. l. 2. c. 37.* De Ægyptiorum circumcisione hoc saltem observandum, quod quoad pauca ab Israelitarum circumcisione non differat, dum non omnes d. eos tantum, qui literis aut sacris consecrandi sunt, circumcidunt, neq; octavo, uti Judæi die hoc opus peragunt, d. decimo demum tertio ætatis suæ anno, quo Ismael ab Abrahamo circumcisus legitur *Gen. 17. 6. 25.* ut igitur hunc ritū magis ab Ismaelitis quam Israelitis accepisse videantur, id quod *Origenes. L. 5. contra Celsum contendit.* Alterum V. T. Sacramentum erat agnus paschalis, quo tempore & quibus Ceremoniis hic comedendus fuerit, Moses *Ex. 12.* fufus declarat. Hocce institutū Gentiles in ἐξιτηρίοις illis (h. e. sacrificiis in discessu fieri solitis) quæ proficiscēdi causa Herculi in culina fiebant, exprimere voluisse nullum dubiū est, ibi n. perinde uti ap. Judæos in Celebratione Paschatis moris erat, ut si quid, ex cibis pollucis remansisset, igne consumeretur, & id qui faceret propter Viam facere dicebatur. *vid. Festus in Propter Viam. Coll. Exod. 12, 3. 4. 9. 10. 11.* Agnus hic Paschalis debebat esse integer & natu non minor anno. Idem Solon ap. Athenienses lege sanxerat ut victimæ essent ἀφελείς h. e. ὀλοκλήρης καὶ ἐντελείς integræ atque perfectæ & agnus anniculo minor non mactaretur sanguine ejus postes & superliminare illinire Israelitis injunctum erat, *Exod. 12, 7. 13.* Et hujus circumstantiæ aliquid simile reperitur ap. Peruvia-

nos

nos cum limina domorum farina sanguine diluta tingunt. Tandem non os huic agno-
erat conterendum. Habere exinde videntur Sinis finitimi Tartari, quanto animalium
quorundam idolis immolatorum ossa confringere religioni ducunt, uti ex. *Joh.
Planca* pinio aliisq; differit *Vincentius Bellovacensis Specul. Hist. L. 30. c. 72. 78. 86. 89.*
post sacramenta proximum locum sibi postulant sacrificia. Hic tam amplius differendi
campus sese aperit, ut integrum sibi volumen, hæc materies, si quis omnia exhaurire ve-
lit, requirere videatur. Mittemus rem in compendium & ne plane sicco pede eam trans-
isse videamur pauca tantum delibabimus. Non ignotum esse potest, quod sacrificia re-
spectu materiæ dividi soleant in res animatas & inanimatas. Quæ prioris generis Deo
offerri solebant, erant vel ex quadrupedum animalibus puris, ut boves, agni, & capræ,
Lev. 22. v. 19. Omnes has, species immolabant quoque Gentiles. Nam bouum immola-
tio peculiati nomine *βρθυσία* Græcis appellabatur, quod nomen ex Latinis Suetonius
in Nerone retinuit; Agnos enim atque hædos sacrificasse satis *apparet ex Homeri odys.*
T. v. 398.

Ἐρμείας τῶ γὰρ, κεχαρισμένα μηρία καίεν.

Ἀρνῶν ἠδὲ ἐρίφων.

Sanguinem harum victimarum circa aram fundere ex *Exod. 29. v. 26.* debebant.
Id ipsum à Græcis atque Romanis usurpatum esse scribit, *Prophyrius in libro περὶ ἑκ λο-
γίων Φιλοσοφίας* cujus fragmentum affert *Euseb. l. 4. c. 9.* Vel ex volucris sa-
crificia constare solebant, ubi Deus maxime columbinam speciem sibi elegerat, uti con-
stat ex *Gen. 15. v. 9.* Hæ equidem oblationes non adeo crebro in gentiliis scriptis repe-
riuntur, interim tamen Veneri columbam albam ob frequentem fœtum & coitum sacrifi-
catam fuisse legimus. Gallus a. gallinaceus, frequentius in sacrificiis maxime Deæ
Noctis fieri solitis ad hibeatur conf. *illud Ovid. L. Fat.*

Noctæ Deæ noctis, cristatus caditur ales.

Hæ victimæ debebant esse integræ & omni vitio carentes, *Lev. 22. v. 19-25.* De Athe-
niensibus idem jam supra annotavimus, in præsentia hoc saltem addimus, quod Brach-
manes quoque vitiatam Deo aut mancã victimam offerre nefas habuerit, ubi habet
Megasthenes ap. Arab. l. 15. Res inanimatæ erant v. g. panes *Lev. 24. v. 5.* Serapidi
quoque ejusmodi pacificia obtulisse Ægyptios ex *Svet Vesp. c. 7.* cognoscitur. Sicuti nec
liba Jovi offerri solita aliud fuere, quam farina oleo conspersa, ut discere est ex *Schol.
Aristoph.* qualia Israelitæ. *Num. 15. v. 4.* Deo offerre in mandatis acceperant, Vinum &
Oleum ex eodem mandato victimis erat addendum *l. c. v. 7. 9.* Vinum quoque & oleum
victimis affudisse Ægyptios prodit *Herod. l. 2. c. 39. 40.* Omnia sacrificia sale erant con-
denda ap. *Ebræos Lev. 2. v. 13* sal quoque ap. Athenienses in sacrificiis adhibebatur quæ
ἄλας & ἄλοχύσας appellabant. Et nulla prorsus sacrificia ap. Ethnicos confecta fuisse,
sine mola salsa, testatur, *Plin. l. 31. c. 7.*

S. XIX.

Materiam sacrificiorum, de qua hæctenus, sequitur forma, secundum quam sacrifi-
cia distingui solent in Holocausta, Expiatoria & Pacifica. *Lev. 1. v. 9.* omnes hæc tres
commemoratas species gentilibus non ignotas fuisse sequentia evincunt. Sic v. g. Ægy-
ptiis atque Cypriis in usu erant Holocausta, si Herodoto credendum est. l. c. Peruvianis ce-
lebrabantur sacrificia quædam agnorum, Mosaicis pacificorum sacrificiis admodum con-
similia, offerri autem solebant Deo ejusmodi pacifica ceu eucharistica pro beneficiis ac-
ceptis juxta *Lev. 3.* Hinc facilius intelligentur *verba Dion. Halicarn. quando L. 6. p. 425.* has
victimas cum gratiarum actione adeo intime connectit. Partes quædam de
hisce victimis secernendæ & comburendæ, quædam commedendæ erant. *Lev. 5. 10. seq.* Ne-
que quoad hæc Athenienses in diversa abibant uti videre est ex *Theophrast. charact.*
περὶ ἀνέλευθερίας. Tertia sacrificiorum species erat Expiatoria. *Lev. 16.* Hæc sunt
Virgilio paucula illa quorum *L. 6. Æn. mentionem injicit, his verbis: Ea prima piacula
sunt.*

sunt: Quoniam a ista Israelitarum victimæ sæpius ignibus divinitus accensis consumptæ leguntur, uti *Lev. 9. v. 24. 1. Reg. 18. v. 38. &c.* Servius scribere inductus est, quod apud Majores aræ non incensæ fuerint, sed ignem divinum precibus homines eliciissent, qui altaria accenderit. *Serv. in Æn. 12. conf. Plin. 12. c. 107.* Hunc ignem autem semel accensum in extinctum servare tenebantur ex mandato divino *Lev. 6. v. 12. 13.* Ad eundem modum Zoroastres Persarum Deus fictitius, delatum a se de cælo ignem subjectis pabulis indefinenter & perpetuo ali ita sanxit, ut præcipuum & velut legis suæ *χαρακτηριστικόν* mandatum esse voluerit, quem morem non apud ipsos Persas natum sed à Chaldæis apud quos vetustissimum hunc morem obtinuisse memoriæ prodidit *R. Mos. Maimon. in Mora Nebochim. l. 3. c. 30.* vel aliud ex hacce Moisaica lege traductum fuisse, merito suspicatus est *Agathias l. 2.* Quem in ritum consensit tota Ægyptus illam n. in templis ignem immortalem servasse ait *Porphyr. περὶ ἐμψ. ἀποχ. l. 2.* Hæc de sacrificiis. Ad res quoque circa quas Lex ceremonialis versatur, retulimus selectum ciborum. Sic enim non omnibus animalibus Israelitis vesci licebat, sed ex quadrupedibus iis tantum, qui ungulas findebant & ruminabantur & ex aquatilibus, quæ pinnis & squamis erant instructæ, *Lev. 11. v. 3. 9.* Eodem profus modo animalium mundorum & immundorum discrimen ex unguularum fissione vel soliditate, ex pinnis & squamis, earumve defectu petatum in Ægypto obtinebat. Unde suilla Judæis abstinendum erat, quia sus equidem ungulam dividit, at non ruminat, qua etiam abstinuisse Cretenses refert *Agathocl. Babyl. nius apud Athenæum l. 9.* abstinuisse Arabes testatur *Solinus c. 33.* Ad res tandem pertinet vestitus, ubi hinc vestis lana & lino contextæ usus Ebræis universis interdictus erat juxta *Lev. 22. v. 11.* ita Flamini apud Romanos tali indui nefas erat. Vestes insuper puræ erant servandæ, unde is qui mortuum attigisset, aut emissarium caprum dimississet aut aliud, quo Lege Levitica pollui poterat manu attrectasset vestes abluere cogebatur. *Lev. 6. v. 26. seq.* Hæc quoque lex à Græcis Theologis uno consensu recepta erat, qua is, qui victimas *ἀποτροπαίης*, i. e. per quas mala avertuntur, attigerat, corpus ac vestes aqua eluere jubebatur, juxta *Porphyr. l. 2. περὶ ἐμψ. ἀποχ.* Eandem legem circa inquisitionem cum mortuis illis positam fuisse in præcedentibus observavimus. Vid hic interim. *Aristoph. Schol.*

§ XIX. Antequam Colophonem huic labori imponamus, vel tribus adhuc de tempore sacro s. de diebus festis ad quos plurimi ritus Judaici ceu ad centrum suum collineant, quoniam promissis supra factis standum est, differemus. Catalogum tum cardinalium tum reliquorum festorum, exhibet Moses *Exod. 23. v. 12-17.* Ex quibus merito suo primo loco nominandus est sabbathi, seu septimus hebdomadis dies, qui non solum statim post Creationem, d. in solenni quoque illa legis promulgatione hominibus severissime ad sanctificandum commendatus fuit *Gen. 2. Exod. 23. v. 12.* Plerasque gentes hunc sacrum habuisse & mundi creationem eo absolutam existimasse, *Josephus l. 5. contra Apin. diserte ostendit, quando ait: ἔδ' ἔστιν ἡ πόλις ἑλλήνων, ἔδ' ἰτισὲν ἔδ' ἐβάρβαρος ἔδ' ἐν ἔθνεσιν ἔνθα μὴ τὸ, τῆς ἐβδομάδος, ἣν ἀργῶμεν τὸ ἡμεῖς ἔθνος ἔδ' ἀπεφοίτηκεν.* Quod vero tabernaculi festum attinet, illi apud Gentiles respondebant *βακχία*, & *δυρσοφορία*, teste *Plutarch. in symp. L. 4, q. 5.* quanquam alii ex Hebraica scenopegia illas derivare malint, perinde ut, *ὄσχοφορία* (festum gestationis ramorum) & *θαλυσία* (Cerealia) Græcorum. Neomerias quoque Græcis eodem modo, ut Ebræis sacras fuisse cognoscitur ex *Porphyr. περὶ ἐμψ. ἀποχ.* Quod & de Tartaris, Sinis finitimis traditur, quod illi etiam Calendas cantibus, & computationibus celebrent, uti ex *Joh. Plancarpinio* disserit *Vincentius Bollovacensis Specul. Hist. Lib. 30.* de reliquis festis pauca adjicienda essent, at cum vel sic propositos limites transgressi esse videamur, vela nunc contrahimus supplices manus pro concessis viribus ad Deum expandentes.

Μόνω σοφῶ θεῶ δόξα εἰς πάντας τῆς αἰῶνας.

